

LEPIDISSIMVM
Luciani opuſculũ πρὸς διάδοσιν,
Henrico Bulloco interprete.

Oratio eiuſdem, cum annotatiõi
bus marginalibus.

Ex præclara academia Cantabri
gienſi. Anno M. D. XXI.

5

LEPIDISSIMVM
Luciani opuſculũ πρὸς διάλων,
Henrico Bulloco interprete.

Oratio eiuſdem, cum annotatiõi
bus marginalibus.

Ex præclara academia Cantabri
gienſi. Anno M. D. XXI.



REVERENDO IN CHRISTO
patri, ac domino, domino Nicolao Elienſi
epiſcopo, Henricus Bullocus
S. D. P.

HAVD facile fuerit explicatu, ornatiſſime praeſul, quãto opere me iuuat haec tua tam amica de hiſce meis literulis opinio. Noui certe cõs ſint uulgares, quã impolitae, quanq; huic opinioni minime reſponſurae. Proinde meae tenuitatis ſatis mihi conſcius pluſculis his menſibus conſtanter ſilui, ne parta hac quantulacunque in ſtudijs diligentia, laus & opinio ſcribendo in nihilum recideret. Tum ut animus interea ſecum reputans hanc tuam opinionem nõ minus ſibi commodam, quam tibi uere glorioſam, quod uel literatoribus, & reluctante, quod aiunt, Minerua, quidpiam molientibus, tam ſyncere faueas, ſuauiſſime paſceretur. Vtinam huius erga ſtudioſos propenſionis tã multos haberes comites quam duces, inter quos ſecundum Mœcenatem primas optimo iure ſibi uẽdicat ſummus ille pontifex Nicolaus, eius nominis quintus, quem tu non ſolum nomine, ſed eruditione, ac rara quadam erga doctos omnes beneficentia nobis probe refers. Huic cũ de literis prolixius confabularetur, ut illi mos erat quotidianus, admiranti qui fiebat, ut cum Florentiae, Venetijs, aliſq; non paucis Italiae academijs magnus eſſet doctorum ho

minum prouentus Romæ, ubi maxime conueniebat, nulli prorsus essent: cum a nobis inquit, non cõtemnẽda huiusce modi sunt proposita præmia, qui uel minimum quiddam suis uigiliis in rem literariam contulerint, aiunt respondisse illos, qui tum aderant, esse Romæ Vates egregios, quibus Musæ satis essent propitiæ. Et qui uel in primam ueterum poetarum classem iure possent reponi. Negauit nõ solum egregios esse, sed ne bonos quidem. Cur inquit, ad me nõ uenĩunt, qui uel malis sum expositus, egerrime nimirum tulit homo bonarum artium longe amantissimus in urbe totius orbis principe eruditos in tenebris delitescere: aut eius erga eosdẽ benignitatis ignaros esse, hunc qui imitantur, quod magnopere dolendũ est, perpauci sunt hac nostra tempestate, immo nõnullos uideas adeo duros, atque difficiles, ut e quercubus, aut saxis iures esse natos: tum adeo egregie tenaces, ut celerius ab illis oculum quam nummum extorseris: quippe diuitijs inexplebiles, haud aliter atq; urnæ Belidum, ac pertusum dolium aquis, citius eresicthona quempiam, aut famem ipsam cibis, quam huiusmodi nummis expleueris, quod ex communi scolasticorum uoce colligere licebit. Nam omnium his diebus, qui aliquid possunt in bonis literis querelæ, uniusmodi sunt ferme, nullos esse Mœcenates: alioqui quid nõ potuissent muneribus prouocati. Mihi, ut uere dicam,

cam,quanꝯ indigno,quī inter doctos numerer, pa
tronum tamen aliquem operienti,qui hæc mea pro
moueret ſtudia, ſolidum luſtrum exactum eſt,hunc
illam alacritatem,illum erga bonas literas flagrantiſ
ſimum amorem,quem olim conceperam, ſordium,
& auaritiæ Boreas,ut non extinxerat, minuerat ta
men. Nec iniuria,nam quis non refrigeſceret,ſubla
to laborum præmio, cuiꝯ nihil penitus ſuccede
bat,niſi bonæ literæ. Quanꝯ & hæ quoꝯ, ne ca te
ris rebus diſſimiles uiderentur,ſuo carerent ſucceſ
ſu patrono deſtitutæ. Verum ſuccurrebat non egre
ferendū, ſi laborarē morbo ſtudioſis pleriſꝯ ferme
oībus cognato,& interea meipſum conſolabar,cele
bri illa Neſtoris prudentiſſimi ſententia: Non om
nia omnibus dīj dedere. Subinde frequenter animo
inculcabam,ſat mihi erit uulgarem iſtam liberaliſſi
marum artium peritiam,a ſuperis propitiꝯs accepiſ
ſe. Modo uel tenuis uictus huic acceſſerit ſine ſolli
citudine:& bona librorum copia. Nempe his dona
tus hilaris abeo. Cæterū dum hæc nimis anxie me
cum agitabam,omnem animi eſtum,omnem turba
rū nebulā iam pridē mihi diſcuſſit θεὸς ἀπὸ μηχανῆς
ἐπιφανείς, reuerendiſſimus in Chriſto pater, ac do
minus,dominus Thomas Cardinalis titulo ſanctæ
Ceciliæ,legatus a latere, archiepiſcopus Eboracen
ſis,& Angliæ ſummus cancellarius inter primos il
los eruditorum fautores merito connumerandus

omnibus egregijs dotibus cardinalitijs absolutissi
mus, ut rex ipse alioqui felicissimus, utpote nobili-
tate, laude bellica, præclaris imaginibus, opulentia,
disciplina domestica, placabilitate, pulcherrima,
atque amabilissima corporis specie, temperatura,
proportione, animi magnitudine, eruditione admi
rabili, atque suspicienda, uel in homuntione, inge-
nio uiuido, ac plane diuino, exactissimo iudicio, in
summa, omnibus naturæ, uirtutis, fortunæ, bonis,
instructissimus. Videatur mihi multis partibus fe-
licior, quod hunc sibi adiunxit consiliarium, cui hoc
quicquid est opusculi Lucianici, nuper a me tradu-
cti, fuisse dicaturus, licet perpusillum, nisi quod
uidebatur mihi non iniquum modo, sed & impu-
dentissimum, si balbus eloquentem, grex pasto-
rem, homunculus reuerendissimum cardinalem,
maximis implicitum reipublicæ negotijs, re tam le-
uicula interturbarem, huic proximus tu occurre-
bas incorruptissime simul, ac liberalissime præsul,
cui sum multis nominibus, hoc est meo, nonnullo-
rum scholasticorum, quos alis tua pecunia, tum aca
demiæ totius quam obstrictissimus, quam iam
dudum in nobis cum eramus Lõdini eius nomi-
ne, multis beneficijs ornauit, nunquam satis lauda-
ta benignitas tua, mirabilis cuiusdam felicitatis est,
ea posse quæ uelis, sed incredibilis liberalitatis
ea uelle

ea uelle, quæ possis. Vis autem quam maxime, quod nuper re ipsa demonstrasti, quæ non nos solum deuinxit, sed & uniuersos huius academiæ scholasticos, non uiuentes modo, sed & posteros, quos horum in nos beneficiorum non immemores futuros, certissime nobis promittimus, nulla merces certior, aut solidior contingere potest, quam ut beneuolentiam & præces a uiuentibus, memoriam apud posteros sempiternam consequare. Si duos præterea tales hæc nostra academia tulisset antistites, spes foret, ut conuersa tandem fortunæ rota, barbaries & inscitia succumberent, latini sermonis puritas, ac artes optimæ quæque bellissime regnarent. Accipies igitur clarissime præsul, fronte qua soles maiora aliorum munera, hoc opusculum Lucianicum a me, utinam feliciter, latinitate donatum, in quo uir summus miram, ac lepidissimam narrat historiam περὶ διψάδων, hoc est, de serpentibus siticulosis. a quibus si ictus fuerit aliquis, siti corripitur inextinguibili. Tandem eo rem perducit, ut ostendat sese haud aliter affectum erga uiros eruditione præcellentes, ad quos excolendi ingenij causa frequenter commeabat. Atque a dipsadibus ictos, erga potum. Hoc opusculum, si nõ tã scrupulose cõuerterim, ut uerbũ reddiderim uerbo, cũ hac anxietate nos liberet Horatius, etiam

fidos

fidos interpretes, ignotum mihi uelim, etiam quod illius festiuitatem, & eloquentiam non sim assequutus. Nam non sum adeo crassus, aut stupidus, quin probe intelligam quantum dignitatis, quantū splendoris Luciano longe facundissimo ipse interpres minime facundus abstulerim, sed mihi pollicebar te quæ tua est generositas, & modestia, hoc meū studium qualecunq; hanc industriam, hunc laborem, in meliorem partem interpretaturum. Quod si hæc sane q̄ exigua ingenij nostri præludia, seu ut uerius dicam, crepundia, præsertim in Græcis literis, boni consulueris. Nos ad opus aliquod Græcanicum magis amplum, in latinum sermonem conuertendū, prouocabis. Præcor deum opt. max. ut recte, & q̄ diutissime ualeas, præsul optime. Ex tua Cantabrigia pridie nonas Iunij,

Añ. M. D. XXI.

DE DIPSADIBVS EX LVCIANO, Henrico Bulloco interprete.

AVSTRALIS Libiæ pars est admodum profunde fabulosa, terra solibus adusta, solitudo pro magna parte, nimiumquã infructuosa, campestris uniuersa, nõ graminis, non herbæ, non plantarum: sed ne aquæ quidem patiens. Quippe si quam habeat alicubi locis magis decliuibus ex pluuiæ perpusille reliquijs coactam, ea est non solum crassa, & male olens: sed ne potabilis quidem homini, uel supra modum sicienti. Harum igitur rerum causa inhabitabilis est. Nã quo pacto habitaretur, cum sit adeo immitis, arida, & plane sterilis, deinde multo squalore obducta. Tum calor ipse & cælum ualde intemperatum, utpote ignitum, & torridum, arena oppidoquam feruida, omnino imperuiam, & inaccessibilem efficiunt regionem. Soli mortalium Garamantes huic uicinam incolunt, gens expedita, & leuis, homines tugurijs contenti, seu mapalijs agentes, ex uenatione pleraq; uiuunt. Nonnunquam hi circiter hiemales solis conuersiones uenatum egressi, iaculis remi nuadunt, obseruantes maxime quando per pluuiam plusculum caloris extinctum, & arena madefacta aliquo modo aditum præbeat, uenantur asinos agrestes, Strutiones etiã magnos humiuolãtes, &

 simias

simias præcipuæ, nonnunq; etiam elephantes. Hæc enim animantium sola sitim sustinent, licet perq; mi sere torqueantur ex nimio tum acuto solis ardore. Cæterum Garamantes ubi uiatici cum quod secum attulerant, consumserunt, domum protinus reuertuntur, ueriti ne arena rursus inflammata, transitu difficilis, ac redeuntibus impermeabilis fiat. Tum ne ipsi tandem ueluti retibus comprehensi, male pereant cū sua præda. Ineuitabilis enim est, si sol humorem attrahens, & regionem arefaciens efferbuerit feriens uehementiori radio humiditatem obiectam, quæ quidem illi tanq; alimentum est. Hæc sane uniuersa quæ prædiximus, sitis, calor, solitudo, nihil habere, quod ex terra capias minus tibi uidebunt molesta, his quæ dicturi sumus: & propterea regio illa modis omnibus fugienda est, Quippe cum serpētes uarij, magnitudine ingentes, multitudine non pauci, specie seu forma longe alienissima, ueneno inexpugnabili, atq; præsentissimo, terrā ipsā īcolūt, atq; depascūt. Hi quidē, pfunde submersi, & ī ipsius arenæ ultimo recessu latētes, illi uero sursū emergentes ī superficie labūt, physalli, aspides, echidnæ, cerastæ, bupresstes, acondiæ, amphisuenæ, dracones, & genus scorpionū duplex, alterū terrestre, pedibus īgrediēs, permagnū multis īterno dijs ī spina distinctū, alterū uero aereū, ac uolucre. alis membranatijs, uespertilionibus, cicadis, noctuis, nō dissimilibus,

huiūscemodi

huiuſcemodi aues frequẽtius aduolantes, haud adi
tu facilem nobis exhibent ipſam Libiam. Iam uero
ſerpentiũ omniũ quos alit arena, multo peſtilentiſſi
mus, atq; grauiſſimus dipſas eſt, ſerpẽs non uaide
magnus, echidnæ ſimilis, morſu uiolentus, uirulen=
tia percraſſa, dolores continue affligentes protinus
inducit. Exurit deinde, tum corrumpit, ardore cla=
morem ædere cogit, haud ſecus atque hi, qui in ig=
nem ſunt proiecti, quod uero non mediocriter
illos domat, & opprimit, hoc in ſumma eſt mor=
bus ſerpenti cognatus. Sitiunt enim ſupra huma=
nam eſtimationem, & quod minime opinareris,
quanto magis biberint, eo uehementius potum ap
petunt, & deſyderiũ multo amplius intenditur. Ne
que ſitim aliquãdo ex inxeris, ne ſi Nilum quidem,
aut Hiſtrum uniuerſum hauriendum præbueris:
ſed reaccenderis potius, irrigans morbum, perinde
atque ignem oleo reſtringuere conareris. Medici
huius rei cauſam aiunt eſſe, uirus i ſum craſſum cũ
ſit: poſteaquam potu fuerit madefactum, facile mo
bile eſſe, tum plurimum ſe diffundere, nec ſine cau=
ſa, utpote humidius effectum. Ego tale quippiam
palſum uidi neminem, neq; uideam o ſuperi, homi
nẽ ſic affectũ: ſed ne Libiã quidẽ ipſam (quod nũq;
me pœnituit) omnino ſum ingreſſus. Epigramma
uero quoddã audiui, qd̃ mihi cõtubernaliũ uirus
retulit ſe in columna legiſſe uiri cuiuſpiam ad hunc

modū ſuo fato functi, qui ex Libia in Aegyptū p-
ficiſcens iuxta magnam ſirtim (cum alias non pa-
teat) iter tenuit, ibi aiebat ſe ſepulchrum offendiſſe
iuxta littus ī ipſis quaſi fluctibus, & columnā ſuper
ſtetiſſe declarantem loci modum, inſculptumque
fuiſſe hominem quendam ſtantem in palude, qualē
uulgo Tantalū exprimunt pictores, aquā haurientē
ut biberet: Feram uero ipſam, quam dipſadem uo-
cauimus pedibus eius circumuolutam, mulieresq;
nonnullas adferentes aquam una pleraſq; ferme oēs
infudiſſe, proxime oua iacuiſſe, qualia Struthionū
illarum, quas aiebā Garamantes uenari ſolitos. Ad-
ſcriptumq; fuiſſe epigramma, cuius quidem memi
niſſe haud quaq; fuerit abſurdum.

Tantalum hoc ipſe reor paſſum graſſante ueneno,
Nec potuiſſe ſitim pellere tabificam.
Sic nequiſſe ſuas tales puto Belides urnas
Implere, aſſidue hauſta ſit Vnda aequa licet.

Sunt præterea & alia quatuor carmina de ouis, &
ut is qui ea abſtulit, demorſus fuit. Sed horū nō me
mini, colligunt ſane ipſa oua ſedulo, ac magno ſtu-
dio accolæ, ut non comedant ſolum, ſed ut euacua-
tis utantur pro uaſis, tum pocula ex illis faciunt, nā
ex terra fingere, non poſſunt adeo fabuloſa. Si ue-
ro magna inuenerint, tum binos ex unoquoq; ouo
faciunt galeros. Pars enim utraq; ad hunc modum
ſemiſecta ſufficiens eſt capiti galerus. Illic igit in inſi

diis

dijs latitant dipsades iuxta oua, & ubi homo aliquis accesserit, ex arena prorepentes demordent infelicē. Hic uero patitur illa paulo prius a me commemorata, perpetuo bibit, & magis sitit, nec unq̄ est satur. Hæc per Iouem, non apud Nicandrum poetam ambitiosus perlegi, neq̄ ut uos discatis q̄ non negligenter fuerim perscrutatus naturas Libicorū serpentum. Medicorū enim magis propria fuerit hæc laus, quibus est necessariū ista nosce, ut qui habeāt ex arte, eadē amoliri. Sed mihi uideor apud uos tale quippiam pati (at per phidiam ne moleste feratis serinā similitudinē) quale paciūtur illi erga potū a dipsade demorsi. Quanto enim frequētius ingredior ad uos, tanto magis crescit appetitus huius negotij, & sitis intolerabilis succenditur, nec uidetur aliquā do sedari posse huiuscemodi potu, & optimo iure: ubi enim adeo nitido, atq̄ puro inciderim amni. Itaque ignoscite, si ipse animo uulneratus hoc suauissimo tum saluberrimo morsu satiar abundanter, subiecto scaturigini capite. Tantum contingat, non deficere quod a uobis influat, neq̄ effusam auscultandi cupiditatē, hiantē adhuc sitientēq̄ destituere. Vt enim sitis meæ ratio est erga uos, nihil prohibet sine fine bibere. Quippe iuxta sapientem Platona: Honesti sacietas nulla.

Finis.

DOCTISSIMO AC CVM PRI-
mis claro Ioanni Talero, Henricus Bullocus
Salutem dicit plurimam.

ETsi non ignorem, eruditissime Talere, lõge difficillimum esse, tam uarijs, ac morosis (uulgi ne dicam) doctorũ hominũ iudicijs satisfacere, famæq; discrimẽ (quæ non auro tãtum, sed & gemmis uel pretiosissimis est anteferẽda) subeũdum illi, qui æditurus est aliquid, malui tamen famam periclitari, q; sceleratã illam ingratitudinis labem, hominibus & superis odiosam, cõtrahere, uel amicis immorigerus esse, quorũ nõ pauci, animo in academiã optimo nihil existimauerũt illi melius maiusue necessariũ, q; ut modis omnibus nos erga reuerendissimum dñm non modo gratos, sed beneficiorum acceptorum minime oblitos ostenderemus. Quod fieri posse affirmabãt, si oratiuncula (quam iam pridem ad eũdem amplissimũ cardinalem, omni laudum præfatione maiorem habuimus) diuulgaretur, cui præter hanc cardinalitiã dignitatem, & incredibilem quãdam in causis perplexissimis diiudicãdis solertiã, dei optimi maximi beneficio, & eius industria, splendor quidã uirtutũ eximius accessit, usq; adeo, ut cõsentiente omniũ uoce optimus prædicet & sit, itantũ, ut nõ uereamur, quin hanc nostrã sedulitatem benigne sit interpre-

taturus,

taturus, cum inter uirtutes eius plurimas (ſecundū iuſtitiam, qua ſe nobis exhibet nō minus admirandū q̄ utilem) nulla eſt cōmēdatior, nulla quæ magis ab omnibus ſuſpiciť, nulla quæ laudibus æque in cælum fertur. Atque hæc ſane q̄ rara in tam alto rerum humanarum faſtigio, modeſtia. Quanquā ea eſt natura, quæ uel citra eruditionē recta peruideat, & agat, ea nihilominus eruditio, quæ naturam quātumuis uitioſā, moribus q̄ optimis adamuſſim abſoluat. Hāc igitur oratiunculā, quā in illius laudē contubernalium meorum, & academiæ conſenſu recitaueram, amici non uulgares ſuaſerunt, imo impulerunt, ut ederem. Quæ utinam tam digna eſſet eius heroicis uirtutibus, q̄ ipſi cupimus. Verū circumſpicienti mihi, cui potiſſimū nuncuparem, tu imprimis occurrebas, cui credebam nō ingratum futurū, quicquid ab hoc noſtro ingeniolo proficiſceretur. Boni igitur conſulas obſecro, quod tibi homini undecunq̄ doctiſſimo, inſtructo, fortuna nihilo minore, q̄ egregia digno q̄ ampliſſima, rem tā tuo ingenio, q̄ illius laudibus oppido quam imparē auſus ſim inſcribere. Quanq̄ opinor ipſa ratio ſatis excuſabit. Cui enim alteri dicandū iure tuo ſaluo, quādo dominus nūc utrique communis, tibi curā huic reſpondendi cōmiſit, quo munere functus es q̄ elegātiſſime, aut cui potius cōſecrādæ laudes eius q̄ tibi qui honoris eius nō minus es ſtudioſus, q̄ qui maxime.

xime. Si primus hic ingenij mei fœtus a te, tuique similibus probabitur, subdideritis calcaria ad maioquæpiam adgrediunda. Bene uale eruditissime Talere, Ex Cantabrigia, Idibus Februarijs. Anno post Christum incarnatum, Milieſimo quingenteſimo uiceſimo primo.

IN PRAEMORTVAM STIRpem, quæ nõ modo floruit, sed & fructus protulit, idq; autumno, Cantabrigiæ in aduẽtu reuerendiſs. Cardinalis, domini Thomæ archiepiſcopi Eboracenſis, ac regni Angliæ ſummi cancellarij, in collegio Reginæ, eiuſdem BVLLOCI Epigramma.

Summe decus patriæ antiſtes natura repente
Mutauit uultus te ueniente ſuos.
Clarior aſtriferi facies pulcherrima cæli,
Aer excuſſis nubibus ipſe nitet.
En nunc florigero pubeſcunt gramina prato
Meſſibus & ridet fertilis omnis ager.
Protulit en teneros, ut uerno tempore, flores
Autumno, & fructus, ſtirps rediuiua ſuos.
Obſtupui, fateor, rem nunq; hic antea uiſam
Nobis, ſed ſubito cognita cauſa fuit.

Scilicet

Scilicet ut sciret quisq; ornatissime præsul
Ingenium, & dotes, prodidit ipsa tuas.
Haud aliter uirtus floret tua, non sine fructu
Præsul apostolici, gloria magna chori.

HENRICVS BVLLOCVS Hodsono suo S. D. P.

FERVNT mihi non mediocri solatio, Ioānes amicissime, literæ tuæ, ut quæ referebāt animum non modo constantē, & gratū, sed mei, ut semper hactenus, amantissimū. Videor mihi omnino infortunatus, quod tam longo disiunctus interuallo conuictu caream tuo. Verum id quod fortuna iniquior nobis eripuit, fac obsecro resarciamus literis alterum alteri nosmet exhibentes, mitto ad te oratiunculam habitam a me adre uerendissimum cardinalem formis non inuenustis expressam, de qua uelim rescribas libere quid sentias. Franciscus noster qui has ad te perfert, adolescens optimus, bonarum literarū perstudiosus, humanitate, modestia, mansuetudine, pudore, innocentia, summatim, bonis moribus omnibus, egregius, eruditione pro suo tempore haudquaquam uulgari: laborat communi scolasticorum morbo, paupertate, quod istiusmodi quibus maxime uellem subuenire nequeo, oppidoquam moleste fero, hūc

C ame

a me rogatus hac tua singulari facundia apud patronum suum dominum longe generosissimum iuuabis, nullo breuiori compendio ad superos euaserit, quam de hominibus maxime huiusmodi benemerendo. Vale amicorum integerrime, ex Cãtabrigia, tertio idus Martij, anno Millesimo quingentesimo uicesimo primo.

VIRO VNDECVNQVE ERVditissimo Henrico Bulloco, præceptori suo Ioannes Hodgesonus, S. D. P.

EQuidem adolescens augurabar, idque neutiquam temere, fore aliquando, ut multiplicem istam eruditionem tuam, mellitissimamque eloquentiam totus Christianus orbis agnosceret, atque admiraretur. Nec est quod opinione me lapsum querar: sic enim eximium artificẽ præstitisti, tãtas huius ingenij tui protulisti diuitias, in hac aurea oratione ad cardinalem habita, quæ beatissima rerum, uerborumque ubertate exundat, ut non frustra te in reconditioribus studijs tot iam annos uersatum appareat. In hac enim primaria fœtura tua, cum cætera perplacẽt id in primis doctissimo cuique probatum iri confido, quod nõ modo trita, & multo hominum sermone celebrata

Noue-

Noue quidem, sed admirabiliter disseruisti iuuenum quod sic cum summo artificio, summam coniunxisti prudentiam, ut & effuse laudaris hominem alioqui suis laudibus orbi commendatissimum, & tamen ab omni assentationis labecula temet nimis ꝙ solerter exemeris, atque uindicaris, non est mihi tantulum uel iudicij uel doctrinæ, ut de quoquam uel triuiali literatore ausim pronunciare, tantum abest, ut de te disciplinarum omnium inter nostrates antistite, sententiam mihi ferendam putem, quando tamen ipse pro tua singulari modestia rescribere iubes, quid de hisce ingenij tui primitijs, ego nihili homuntio sentiam, plane fateor, ut multa esse, quæ tenuitatem nostram, artis sublimitate exuperent, ita nihilõnino istic desyderari, quod auribus meis faciat satis, easq; abunde expleat, amplius mihi non arrogauerim, Nosti enim ꝙ in nullam remotiorem facultatem penetrarim, contentus qualicunq; latinitatis notitia, ut igitur me non admodum pœnitet, insciticæ meæ, quod non dubitem ad parandã uere immortalitatis gloriam sufficere modicam literaturam, ita peruelim, atque optarim, &, quoad licet, hortatus fuerim te præceptor eminẽtissime, præcellẽteis doctrinæ, facũdiæq; tuæ dotes non alio conferre, ꝙ ad cõsiliãdã diuinã gratiã, eãdẽq; ꝙ latissime ppagãdã, spero tibi ppediẽ honorificũ aliqd̃ sacer dotiũ celitus, puisũ iri, qd̃ ubi obuenerit, obueniet

C ij autem

autem quam celerrime, non paulo tutius fuerit, priscos illos diuos, quorum pietas, non modo eruditio, per orbē spectatissima est, quod hactenus semper fecisti, & non dubito perpetuo facturum, uitæ sanctimonia referre, q̄z glorioſulos istos rerum moderatores humanarum miserabiliter æmulari, qui summam ducunt felicitatem opibus florere, uoluptatibus diffluere, pluribus imperare, contra extremam existimant turpitudinem, egestate laborare, uictitare parciter, ingloriam & neglectam agere uitam, usqueadeo crucifixi heredes, crucis ignominiā q̄z sanctissimus quisq; amplectitur, ingrate, ne dicā impie, abominantur, absit ut Christi sacris iniciati, secularibus inseruiant desyderijs. Nemo enim qui deo militat, implicatur sæculi negotijs, ut ei, qui se in militiam delegit, placeat, & quam putas me sæpenumero in sinu gaudere, quod non tantum hic animulus meus a mundano strepitu, aulicisq; tumultibus, semper abhorruit. Verum quod istic quoque mihi sub te moderatore menses aliquot merere, diuinitus est concessum, qui principum fauores adeo non ambieris, aut eblandiri consueueris, ut etiā clarissimi ducis famulitium, oblatosq; honores, literario posthabueris otio. Sic nimirū animi nullis fortunæ blanditijs corrumpendi specimē dedisti, hac ī parte ego te adeo strenue sū imitatus, præceptorē discipulus, ut statim post trimestre spacium, relicta

aulica

aulica uita me in monasticam tranquilitatem recepe rim, Maria enim, teste ueritate, optimam partē elegit, quæ non auferetur ab ea. Hanc partem clerici primam statim tonsuram accepturi solenniter, magis plerumq; cū ex animo celitus illustrato, se delegisse profitentur, uulgato illo uersiculo, cuius recordatio post id temporis, multorum animos percū rarenter subire solet. His nanq; uere Christum mihi uidetur elegisse, qui cum rege sanctissimo elegit abiectus esse in domo dei magis, cū habitare in tabernaculis peccatorum. Redeundum itaq; prævaricatoribus ad cor, quæ uictima deo gratissima est, quemadmodum ipse ait: da mihi cor tuum, & sufficit. Proinde scelus est inexpiabile, magnis quibusdam flagitijs, cordis habitaculum dedicare. Sed ego profecto plus nimio impudens, qui hæc ad te, etiam euangelij apud Cantabrigianos enarratore. Cæterum nihil non audendum putaui apud te, hoscecq; animi mei æstus impune effundendos, tibi enim tantum gratiæ precor, & consolationis internæ, quantum uetustis illis diuini uerbi concionatoribus celesti munere tributū est, optoque atque obtestor, ut hanc mihi audatiam condones, quæ non aliunde promanauit prætercū tum ab ingenti charitate, qua te complector, tum ab huius lenitatis inirritabilis fiducia, nihil tā uereor, cū ne te hac odiosa, insulsaque prolixitate delassarim, atque

 enecarim,

enecarim, sed ego oleum & operam belle collocatã arbitrabor, si uel semel perlegeris. Vale meum dulce decus, & academiæ ornamentum, doctissime, atque disertissime præceptor. Ex cœnobio Ioriualensi, in festiuitate diui Gudberti, tempore quadragesimali. Anno M. D. XXI.

DOCTISSIMI VIRI HENRICI Bulloci theologiæ doctoris oratio, habita Cantabrigiæ, in frequẽtissimo cetu, præsentibus Cæsaris oratoribus, & nõnullis alijs episcopis, ad reuerendiss. D. Thomam cardinalem titulo sanctæ Ceciliæ, Legatum a latere, archiepiscopũ Eboracensem, & Angliæ supremum cancellarium.

Recusa c Dñe: Fidei, ni vitæ Cardinalicy

NON expectabis, multo omniũ felicissime Cardinalis, quod hac breui oratiuncula, immensam illã laudum tuarũ aream uelimus ingredi, uel tantulo uerborum numero uirtutum tuarum omniũ summam perstringere, quando eas utcx ingenti uolumine, tantum abest, ut sermone non dico diurno, sed ne semestri quidem, aut annuo uel enumerare quispiam possit. Nos uerba facturi sumus de hisce dũtaxat rebus per paucis illis quidem, sed quæ ob earundẽ magnitudinem nisi essent omnibus, nedũ adstãtibus, cognita (quod hos meos spiritus non mediocriter recreat) uiderent̃ fortassis

taſſis incredibilia, nec citra aſſentatiõis notam referri poſſe, cæterũ tantũ aberit hic noſter ſermo ab aſſentatione, quantũ abeſt a neceſſitate. Quippe huiuſce modi ſunt proceres humaniſſimi, huius ampliſſimi præſulis dotes, quæ ab omnibus, uel inimicis (quorum laus ut eſt perq; rara, ita minime fucata) cõmemorari debeant, adeo, ut nulla fuerit adulationis ſuſpicio, ſi earum amore ducti, paulo liberius (ut noſtra mediocritas tulerit) loquamur, p̃ noſtro erga eius celſitudinẽ ſtudio, & nobis delegato a contubernalibus officio. Nã nõ eſt noſtri ingenij, huius infantiæ, harum uirium, ſed ne oratoris quidẽ, quantumuis magni, quantumuis eloquentis, tot egregia huius laudatiſſimi Cardinalis, digne pro meritis cõ celebrare. Nulla ſane eſt tam torrens dicendi copia, nullum tam efficax, aut ſplendidũ orationis genus, nulla uis, ubertas nulla, quæ huic eſt oneri reſpõſura. Quid enim huic defuit, quod ſummis quibuſq; uiris unquam adfuit? pra clara ne indoles? at hac ſpẽ nõ ancipitẽ maximi huius (quo nũc illũ ornatũ cernimus) honoris, uniuerſis præbuit, an eximia corporis tẽperatura? Ad hãc, ut uidemus, obtinuit optimã, an diligẽtia? qui pueritiæ tẽpus extremũ, initiũ habuit, oĩum bonarũ artiũ apud inclytã Oxoniã huius tantæ magnitudinis altricẽ, in qua tã uigilãter bonis literis incubuit, ut alios eius ætatis diligẽtiſſimos, lõgo præceſſerit ĩteruallo, an ĩgeniũ? at hoc iã

Bona naturæ.

Repetitio Corporis

Animi.

inde

inde ab adolescentia uel maxime diuinum, omnium calculis consecutus est, an rerum usus, probitas, innocentia, pudor, integritas, religio, an uirtus ulla? quibus nō modo clarissimo marcioni amplissimo archipræsuli perplacuit, sed regi, regum omniū prudentissimo, Henrico, eius nominis septimo, uiro acerrimi (ut mea fert opinio) iudicij, qui harum rerum gratia, hunc incorruptissimū antistitem percharum habuit, nam probe intelligebat princeps, in perpendendis hominum ingenijs, & huiusmodi dotibus longe solertissimus, istum aliquando huic suo regno magno usui, atque honori futurum, in cuius testimonium, eundem auxit beneficijs, credidit illi consilia, commisit legationes, idque in grauissimis regni negotijs, in quibus quam dextre, ac prudenter sese gesserit, non est huius loci, nec̄ temporis referre, huius filius rex illustrissimus uniuersis optimi, atq̄ excellentissimi principis artibus cōsummatus, ut paternæ hereditatis, ita & iudicij, atque animi successor innumeris huius reuerendissimi præsulis captus uirtutibus, nullo non honore dignissimum iudicauit, summus pontifex ob ingentia in ecclesiam catholicam merita hisce insignibus donauit, & quia uidebat illum omnibus huius dignitatis cardinalitij numeris absolutissimum, adiecit & alteram dignitatem secundum summum pontificium supremam, creauit legatum, & id quidem a latere,

Hēricus septimus prudētiss. & acerrimi iudicij.

Henricus octauus oīibus ornamentis uere regijs cumulatissimus.

a latere. Quid ergo nos homunculi post tantos, ac tam exquisitos summorum principum honores, ad quos tamen maxima harum uirtutum, quibus eosdem promeruit, peruenit utilitas, cõferre possumus? quid nobis relictum est, quid ex officio nobis incumbit? nisi, ut deum immortalem communibus uotis sollicitemus, quatenus eundem nobis quam diutissime, superstitem, incolumem, florentem conseruet, hisce successibus congratulemur, has eius uirtutes prædicemus, quas silentio præterire non possumus, nisi uelimus esse omnium multo ingratissimi, non agnoscentes multiplicia in hanc rem publicam per te ornatissime præsul collata beneficia, quis enim tam altam huic insulæ tranquillitatem peperit? nisi hæc tua gratiosissima sublimitas, quis pauperem a potente, inopem a locuplete, simplicem & innocentem a iuris publici uafricie, incuntanter explicuit, explicuit ista diligentissima sublimitas, quis eiusdem facultatis professores uersipelles in aliorum exemplum acerrime corripuit? corripuit hæc ipsa iustissima sublimitas, quis collapsas improborum inexplebili auaritia uillas redificari, agros omni frugum genere fertilissimos, in pascua deductos, agricolis iussit restitui? iussit ista ipsa prudentissima sublimitas, quis plurimarum nationum Christo militantium, regum imperatoris, summi denique pontificis fauorem, huic regno conciliauit?

Articulus.

Cõplexio.

auit: conciliauit ista tua præstantissima sublimitas.
Omnia ergo huius rei publicæ commoda, post no
bilissimum, atque inuictissimum regem nostrum
Henricum, eius nominis octauum, cui tuam celsitu
dinem debemus, si recte rationabimur, uni huic ac=
cepta referemus oportet, fortunatissimæ sublimita
ti, ecquem ex omni antiquitatis memoria proferre
possumus, per quam religiosi antistites, & uos uiri
generosissimi, qui tanta contulit uel uni ciuitati, gen
ti, aut populo, quanta hic non tantum huic regno,
sed orbi Christiano? si excutiamus omnes rerum
ecclesiasticarum annales, omnes a fidei Christianæ
primordio res gestas, summorum pontificum uita
tas, in quibus recenseri frequentissime solent cardi=
nalium uirtutes, non inueniemus in aliqua una æta=
te ab omnibus cardinalibus, sed ne in omnibus qui
dem ætatibus, ab aliquo uno cardinali, adeo neces=
saria reip. Christianæ tam breui tempusculo fuisse
perfecta, quod & ipsa confitetur Italia, in suis licet
alumnis efferendis nonnũquã immodica, ac in qua
uis re potius cũ gloria cuiuis cessura, confitet Ger=
mania, quæ communibus suffragijs summo dignũ
ducit pontificio, confitetur Gallia, cuius rex Chri=
stianissimus Franciscus nuperrime aiebat se malle,
te sibi consultorẽ adhibitũ, cũ regni sui dimidiũ, de=
nicq; quæ regio, quis locus, quæ solitudo, quis adeo
remotus ab hoc nostro habitabili orbis angulus,
qui

qui populi, proceres, reges, qui nō idipsum cōtē-
tur, & ad quos nō permanauit pulcherrima rerū a
te recte gestarū fama, tam longe lateq; diffusa est re
uerendissime cardinalis huius tui nominis celebri-
tas, quam ampliter pateat orbis Christianus, ne di-
cam uniuersus, non latius doctus aliquis huius insu
læ laudes literis, quam tu uirtutibus istis heroicis,
propagauit, eisdē sane finibus, quibus ortus & oc-
casus tui nominis claritudo terminatur, Hyspanus
colit, Gallus ueneratur, Germanus suspicit, Italus ad
miratur, ut omittā Boemos, Hungaros, Polonos,
insulares omnes, qui nō minus huic tuæ felicitati cō
gratulantur, & uniuersam illam soli orienti, atq; me-
ridiano subiectam Barbarorū infideliū colluuiem,
quam hæc tua incomparabilis prudentia per nego
tiatores cognita, expeditū atq; promptum consiliū,
rara quædam in rebus singulis experientia, in nego
tijs obeundis maturitas, & ista (per singularē, illu-
strissimi regis nostri prudentiam, & tuam industri
am) inter principes Christianos cepta, ac prope di
xerim, stabilita cōcordia intra suos limites cohibet:
Alioqui infestis telis inimico exercitu Christianos
fines ingressuram. Proinde non est regum aliquis,
non imperator ipse, non summus pontifex, qui
non ambiat huiuscemodi heroa sibi cōtubernalem,
si ergo cardinalis aliquis, ob pacem conciliatam in-
ter Genuenses, & Florentinos nomen obtinuit nō

modebre. Alius ob fœdera renouata, inter Venetos & Ferrarienſes, alius ob ſopitam inter Quelfos & Gebellinos, diſcordiam, alius ob ſublatam ſimultatem, aut contentionem inter paucos factioſos cõpoſitam, tu unus cum his omnibus longe maiora præſtiteris, non dignus uidebere omni ſæculorum memoria. Videberis, inquam, & non hoc tantum, ſed ſuperum conſeſſu, ac nunquam finienda cum celitibus gloria, quam ſummus ille rerum omnium opifex, hauddubie benemerenti collaturus eſt. Felix tellus, quæ te in lucem ædidit, feliciores principes, quibus acceſſiſti, feliciſſima res publica, quæ talem moderatorem ſortita eſt, & nos Cantabrigiani non poſtremam, ſed uel primam fælicitatis partem uidemur adepti, non ſolum quod huic noſtræ academiæ tam impenſe faues, adeo, ut nonnullos eius alumnos, huic tuæ nobiliſſimæ adſcripſeris familiæ, beneficijſq; non mediocribus cumulaueris, ſed quod nos tua præſentia longe ſuauiſſima ornare dignatus es, quod hunc tuum uultum multo gratioſiſſimum liceat intueri, hanc tuam celſitudinem amplecti, haud facile fuerit explicare quanto tripudio, quam hilari uultu, quam ingenti lætitia, ſalientibus præcordijs, tui aduentus nuncios excepimus, facilius fuerit cuipiam æſtimare, quam nobis uerbis exprimere, ipſe uidiſti, quam exporrectis frontibus, quam blando, ac ſereno uultu, quam incredi-

bili

bili omnium applausu, certissimis, non ficti pectoris testimonijs, exceptus es, hi parietes, hæ columnæ, hæc subsellia, hoc sacrum, hi omnes denique scholastici uident mihi nō mō gestire, sed & serio gloriari sese nobilitatos tali hospite, utinam hæc nostra præcordia, has animi latebras, hos affectus, istis tuis uiuacissimis oculis introspicere posses, tū clare deprehenderes, cp̄ synceriter; nullo ascititio colore, nullis phaleris, nullo fuco, hæc dicerentur, ut enim opibus, ædiū magnificentia, supellectilis gloria, ab alijs superemur, ita studio, promptitudine, obseruantia, nemini concesserimus, hoc precati, ut te propitium huic academiæ, ut omnibus solitus es, exhibeas patronū, deus optimus maximus te in usus publicos quam diutissime conseruet incolumem.

Sententiæ aliquot, Græcæ
& Latinæ.

Fidos amicos fratres existimare debes.
νόμιζ' ἀδελφοὺς τοὺς ἀληθινοὺς φίλους.
Nō est inuenire uitā absq; molestia ullā,
οὐκ ἔστιν εὑρεῖν βίον ἄλυπον οὐδενί,
Deo certe nullus fortunatus hoim sine
θεοῦ γὰρ οὐδεὶς εὐτυχεῖν βροτῶν ἄνευ
Malis conuersans & ipse euades malus.
κακοῖς ὁμιλῶν κἀυτὸς ἐκβήσ κακός.

Impressum est hoc opusculum Cantabrigiæ, per Ioannem Siberch, Anno, M. D. XXI.

Henricus Bullock [vel Bovillus] admissus So-
cius coll: Regin: Cant: [Præsidente Joanne Fisher-
epō: Roffen:] circa an: 1506.

Idem Socius admissus Procan: Acad: an: 1524.

N.B. Erat ille Erasmi amicus, quo cum familiariter
vixit in Collegio Regin: v: Erasmi Epistol: Hen: Bovillo.